

Et S. eadem C. ad Vaticanum sub-signata die coadunata in ordinario coetu ad relationem subscripti Pro-Secretarii respondendum censuit utri-que dubio proposito respondendo: „Semper sequendum esse ordinem Officii juxta coenobium, in quo moram faciunt etsi ad tempus, quia ubique choro interesse tenentur.“

Et ita rescripsit.

N. 5175 die 25. Septbr. 1852.

*Ad dubium:* An Regularis transiens ab uno ad alium Conventum parte anni jam transacta, sive ad tempus sive perpetuo ibi moraturus, durante ipso anno debeat in recitatione privata Officii divini extra chorum se conformare Calendario conventus, a quo discessit, an potius illius, in quo actualiter habitat, si propter festa dioecesis differant multoties Calendaria tam in festis occurrentibus quam in translatis?

S. C. resp.: In privata Officii recitatione extra chorum se conformantes Calendaris Conventuum, in quibus actualiter morantur, satisfaciunt oneri recitationis horarum canonicarum.

Die 14. Maii 1803. *In una Ord. Carm. Lusit.*

Vd. supra decr. de die 31. Aug. 1839.

Ordinis Monachorum Cisterciensium.

Quum Rmus P. Procurator gen. Ord. Cisterciens. iteratis humillimis precibus SSmum D. N. Pium IX. P. M. enixe rogarit, ut instar concessionis usque ab anno 1764 III. Non. Aug. factae Ordini s. Benedicti Congr. Olivetanæ ac in sequentibus annis Camaldulensibus et Cassinensibus extensæ de apostol. benignitate indulgere dignaretur omnibus et singulis personis Eccles. saecul. servitio Monasteriorum et Ecclesiarum ac Granciarum sui Ordinis addictis, nunc et pro tempore

existentibus aliisque intra claustra eorundem Monasteriorum assidue habitantibus et cum Monachis conviventibus, ut donec et in servitio praedicto seu in convictu intra claustra cum Monachis perduraverint, si divinum Officium horasque canonicas recitare teneantur, absque ullo conscientiae scrupulo Officium divinum horasque canonicas juxta Ritus ipsius Ordinis Cisterc. seu dictorum Monasteriorum, in quibus ipsi existunt seu servitio addicti reperiuntur, non solum in choro cum monachis, sed etiam si in choro uno cum aliis monachis minime praesentes sint, seorsim et separatim recitare possint et valeant. SS., referente subscripto S. R. C. Secretario de speciali gratia benigne annuit pro extensione supraenunciati Indulti, dummodo tamen Sacerdotes alique eccles. Saeculares aliquo Beneficio speciale Officium requirente non sint provisi et consensu proprii Ordinarii sint muniti. n. 5052 die 28. Aug. 1846.

*Ad dubium:* An Decretum in una Ordinis Capuccinorum die 31. Aug. 1839 ad dub. 2. opponatur praescripto a Rubrica Ordinis n. 152. mandante ut Religiosus, quoties extra coenobia Ordinis diversatur, recitet Officium juxta Calendarium sui Conventus?

S. C. resp.: Negative, nam Decretum illud non respicit Alumnos Ordinis Observantium.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 6 die 16. Apr. 1853.

*Ad dubium:* Cum aliquoties contingat alteri novo Officio Nostratibus (Ordin. Minor. s. Francisci de Observ. in Provincia Bononiensi) concessio assignari ab hac S. R. C. vel a Rmo P. Ordinis Generali diem in Calendario Ordinis liberam, et quidem sub hac ratione, quia libera est, nam, ut hic supponitur, dies ipsius natalitia non

est; quaeritur: an casu quo praefatum novum Officium inveniat in aliquibus Conventibus assignatam diem occupatam ab altero Officio inferioris ritus jam ibi fixe translato juxta Rubricas, debeat illud ipsum novum Officium huic praeferrere utpote majoris ritus, licet nullum jus ad talem diem habeat praeter assignationem ut supra a Superioribus factam?

S. C. resp.: Affirmative, ut in Mechlinien. diei 7. Dec. 1844 ad dub. IV.

Atque ita declarandum et rescribendum censuit. n. 5183 ad 3 die 16. Apr. 1853.

*Ad dubium:* An illi Monachi, qui quotidie pergunt ad s. Paulum divini Officii persolvendi causa, debeant recitare in Ecclesia s. Pauli Officium s. Callixti Titularis Ecclesiae hospitii?

S. C. resp.: Negative. Die 5. Oct. 1697 in una Urbis ad 2.

*Ad dubium 1.:* Quaeritur quid agendum sit, si idem Officium, quod concessum fuit Congregationi Clericorum Regul. s. Pauli Barnabiti, indultum quoque fuit dioecesi, in qua moramur, sed pro alia die?

2. Quaeritur quid agendum sit, si pro eodem quidem die sed sub alio ritu idem Officium tum Congregationi nostrae tum dioecesi, in qua moramur, indultum fuit?

3. Quaeritur quid agendum sit, si quando Congregationi nostrae aliquod Officium de communi, dioecesi vero proprium concessum fuerit vel vice-versa?

Emi et Rmi P. . . . rescribendum censuerunt

*Ad 1.:* „In casu Clericos Regular. s. Pauli conformare se debere quoad diem Calendario dioecetano.“

*Ad 2 et 3.:* „Clericos Regulares debere celebrare festum ritu altiori et Officio proprio respective; dummodo

in concessione Officii proprii facta dioecesi Regulares explicitè non excludantur.“

N. 5230 die 29. Nov. 1856.

#### 11) Ordinatio.

Vd.: *Ordinatio Regular;* *Ordinatio* (Titulus; tempus, decr. Pii VI.) vd.: *Constitutio Benedicti XIV.* die 27. Febr. 1747 (Bull. r. t. XVII. p. 106); *Votum Regular.* (Decr. de die 20. Jan. 1860).

#### 12) Ordinario (tamquam Sedis ap. Delegato) subjecti.

Vd.: *Constit. Innoc. X.:* Ut in parvis etc. de die 10. Febr. 1654 in Bullar. magn. rom. tom. V. pag. 487 (ed. Luxemburg. 1727) et: *Declarationes Alexandr. VII. ad hanc constit.* (ibidem tom. VI. p. 5).

*Ordinariis subjiciuntur in his, quae ad divinum Cultum necnon ad administr. SSrum aliaque Spiritualia spectant,* vd.: *Constitut. Pii IV.* 16. Febr. 1564 (ibidem t. X. p. 138); *Constit. Gregorii XV.* 9. Febr. 1623 (ibidem p. 183); *Constit. Bened. XIII.* 27. Mart. 1726 (ibidem t. VIII. p. 495).

*De jurisdictione Episcop. quoad Ecclesias paroch. Regularium et personas curam animarum Subditorum saecularium in eis exercentes,* vd.: *Bullam Bened. XIV.* 6. Novbr. 1744 (Bull. r. t. XVI. p. 249); *Constitutio Clem. XIII.* de die 11. Decbr. 1758 (Bull. r. Contin. t. I. p. 72. Edit. Rom. 1835).

#### 13) Praecedentia.

Vd.: *Processio* (Clerus regul.); *Processio* (Regularium); *Sepult.* (associatio); *Processio fun.* (facienda a Regul.).

#### 14) Votum simpl. et sol.

Vd.: *Votum Regul.*

### RELATIONES

super Statibus Ecclesiarum etc. ab Episcopis et aliis Praelatis inferioribus exhibendae.

Vd.: *Visitatio Liminum;* *Status Ecclesiar. Erectio Congregationis particularis nonnullorum romanae curiae Prae-*

*latorum Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum adjectae pro excipiendis examinandisque relationibus Episcoporum, Abbatum etc. super statibus earundem Ecclesiarum.*

*Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

Decet romanum Pontificem pro divinitus credita sibi Domini gregis cura, non solum, quae catholicae Ecclesiae utilia ac salubria sunt et sacris Canonibus et apostolicis Constitutionibus consona, constituere, sed evangelici patrisfamilias exemplo, pro cujusque ingenii et facultatem viribus, talenta distribuendo, celeri etiam eorum, quae decreta sunt, executioni prospicere.

§. 1. Alias quidem fel. rec. Sixtus PP. V. praedecessor noster per suas apostolicas literas, quarum initium est: „*Romanus Pontifex*“, decrevit, ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi juramento promitterent, se certis statutis temporibus bb. Apostolorum Petri et Pauli limina personaliter ac per se ipsos visituros, legitimo autem impedimento detentos per certum nuntium id adimpleturos rationemque reddituros romanis Pontificibus pro tempore existentibus de toto eorum pastoralis Officio deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus praeesent, Ecclesiarum statum quovis modo pertinentibus; et idem Sixtus praedecessor deinde per consimiles literas, quae incipiunt: „*Immensa*“, Congregationi S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii Tridentini demandavit, ut Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum eorundem postulata audirent, et quae per se possent, ex caritatis et justitiae norma expedirent, majora ad se suosque successores referrent. Nos vero ne-

cessariis ac legitimis de causis animam nostram moventibus per literas nostras nuper emanatas praefati Sixti praedecessoris literas de sacris visitandis bb. Apostolorum liminibus, et omnia in eis contenta confirmavimus atque innovavimus\*), praecipientes praeterea et mandantes omnibus Abbatibus, Prioribus, Praepositis aliisque quacumque dignitate etiam Cardinalatus honore insignitis, tam Regularibus quam Saecularibus, qui Monasteriis seu Ecclesiis, quae nullius nuncupantur, cum jurisdictione spirituali et territorio separato, quocumque jure et titulo praeficiuntur, ut antequam suorum Monasteriorum et respective Ecclesiarum possessionem adipiscantur, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine prioris, si praesentes Romae fuerint, si autem absentes, in manibus Nuntii vel Legati Sedis apostolicae seu alicujus catholici Antistitis eorum arbitrio eligendi se juramento obstringant, sacras bb. Apostolorum Petri et Pauli memorias personaliter ac per se ipsos vel, legitime impeditos, per certum eorum Nuntium visituros et insuper certis praescriptis temporibus rationem reddituros de commissa sibi Monasteriorum seu Ecclesiarum procuracione aliisque omnibus, quae ad ipsarum Ecclesiarum et Monasteriorum statum, ecclesiasticam Cleri et populi disciplinam, ad animarum salutem et ad divinum cultum et gloriam pertinent, prout in singulis ejusdem Sixti praedecessoris ac nostris respective literis praedictis, quarum integros tenores hic pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut nobis, dum adhuc in minoribus versaremur, in-

\*) Vd.: *Visitatio Liminum etc.* (ab Abbatibus etc., Constit. Bened. XIV. 23. Nov. et 15. Decbr. 1740).

notuit, venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales decretorum ejusdem Concilii Tridentini interpretes tantis negotiorum curis, causarum multitudine et gravissimarum occupationum mole distineantur, ut serius, quam optarent, non sine aliquo Ecclesiarum detrimento et nonnullorum querela, postulata, quae occasione visitationis sacrorum liminum fieri solent, audire et responsa praebere cogantur literis Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, qui legitimis impedimenti detenti, quominus se in hanc urbem conferre possint, absentes vel Romae praesentes, debitae suarum Ecclesiarum relationis Officium in scriptis, ut moris est, adimplent: Nos hujusmodi incommodo congruum remedium adhibere eidemque Congregationi S. R. E. Cardinalium decretorum praedictorum interpretum opportunum levamen afferre satagentes necnon venerabilium fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, quos in visceribus caritatis gerimus, votis ac desideriis, quantum in Domino possumus, satisfacere et sollicitae literarum et responsorum hujusmodi expeditioni providere cupientes, inhaerentes etiam exemplis SS. nostrorum Praedecessorum, e quibus beatum Damasum Praedecessorem nostrum in chartis ecclesiasticis jusse et Orientis Occidentisque consultationibus respondisse de se b. Hieronymus affirmat, ex certa scientia et apostolicae potestatis nostrae plenitudine tenore praesentium perpetuo erigimus, institimus et decernimus particularem Congregationem nonnullorum romanae curiae Praelatorum a nobis et romanis Pontificibus successoribus nostris pro tempore deputandorum, quorum munus et officium illud dumtaxat esse volumus, ut eorundem venerabilium fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum,

Episcoporum necnon dilectorum filiorum Abbatum, Priorum, Praepositorum aliorumque tam saecularium quam regularium separatim territorium habentium et jurisdictionem quasi episcopalem in locis sibi subjectis exercentium, postulata, quae in scriptis exhibita fuerint, et literas eidem Congregationi Cardinalium decretorum praedictorum interpretum vel Nobis directas et a Nobis ad praefatam Congregationem remissas diligenter inspiciere omniaque in eis contenta in eorum Conventibus et particularibus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habenda erit, accurate exponere, ut communi consilio omnibus consideratis et perpensis, quae majoris momenti videbuntur, ad ipsos S. R. E. Cardinales interpretes praedictos, et deinde per ejusdem Congregationis Secretarium ad Nos, quoties coram Nobis praedicta particularis Congregatio habita non fuerit, et romanum Pontificem pro tempore existentem, referantur, ut, votis eorundem Cardinalium et Praelatorum auditis, de rebus gravioribus ex omnibus provinciis et terrarum orbis partibus ad Sedem apostolicam a primis Ecclesiae temporibus referri solitis, prout in Domino videbitur expedire, statuere et Episcoporum aliorumque praesulum postulatis et desideriis obsequi, quantum ex alto conceditur, valeamus.

§. 3. Et quoniam in optatis Nobis est, ut ad hujusmodi munus obeundum viri eligantur idonei, ideo Nos venerabilem fratrem Josephum de Saporitis Archiepiscopum Anazarbensem et dilectos filios Magistros in utraque nostra signatura referendarios Antonium Mariam Erbam, Bartholomaeum Olivatium, Josephum Mariam Castellum, Nicolaum Antonellum in praedictae particularis Congregationis a Nobis, ut praefertur, erectae et institutae Praelatos earundem tenore

praesentium deputamus, nominamus et constituimus; eosdem autem Praelatos a Nobis, ut supra, deputatos et a romano Pontifice pro tempore deputandos, praefatae Congregationi S. R. E. Cardinalium ejusdem Tridentini Synodi decretorum interpretum apostolica auctoritate praedicta ita adjungimus et subjective aggregamus, ut eidem Congregationi tanquam membra capiti in praemissis obsequantur et in commissio sibi munere suffragentur; proptereaque Nos eorumdem Praelatorum particulari Congregationi Praefectum dilectum filium Nostrum Antonium Xaverium tituli s. Stephani in monte Coeli ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Gentilibus nuncupatum, modernum Congregationis praedictae Cardinalium decretorum Concilii interpretum pariter Praefectum, Secretarium vero venerabilem fratrem Carolum Albertum Guidobonum Cavalchini Archiepiscopum Philippensem etiam modernum ejusdem Congregationis Secretarium, eorumque in Praefecturae et Secretarii respective munere Successores itidem perpetuo constituimus et deputamus. Insuper quia opportunum et congruum arbitramur, ut is, qui eidem Congregationi S. R. E. Cardinalium decretorum Concilii interpretum in latinis literis Episcopis rescribendis operam praebet, de rerum tractationibus in particularibus praedictorum Praelatorum Conventibus seu Congregationibus habendis plene sit instructus, ad hoc, ut per eum praedictae Congregationis Cardinalis Praefectus eisdem fratribus Episcopis aliisque praesulibus supradictis eorumque potissimum postulatis diligentius ac commodius possit satisfacere, volumus et eadem apostolica auctoritate statuimus, ut dilectus quoque filius Magister Aeneas Silvius Picolomineus, qui nunc est et qui fuerit deinceps eidem Congregationi latinarum episto-

larum hujusmodi a secretis, in eorumdem Praelatorum Conventibus et Congregationibus locum habere et personaliter interesse, non tamen in eis votum ferre possit et valeat.

§. 4. Non obstantibus quacun- que contraria consuetudine, quam ad praemissorum effectum, quatenus opus sit, abrogamus et abolemus, et abrogatam et asolitam esse volumus, necnon quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 23. Novbr. 1740.  
(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 24.)

## RELIQUIAE.

### 1) In Altari rite ponendae.

Vd.: *Altare port.* (Execratio); *Consecratio altaris*; *Reliquiae* (impositio etc.); *Dedicatio Ecclesiae* (Vigil., decr. n. 4742).

Rhedonen.

Reverendissime Domine uti Frater.

Gravissima quidem res est, quam amplitudinis Tuae literae datae 14. Kalendarum Augusti vertentis anni enarrant, nimirum quamplurima altaria parochialium Ecclesiarum hujus Rhedonensis dioecesis ita a Praedecessoribus tuis fuisse consecrata, ut in ipsis ss. Martyrum Reliquiae vel penitus desiderantur vel, si appositae fuerunt, non tamen servatae sunt rituales hae caeremoniae, quae ab ecclesiasticis legibus sancitae reperiuntur. De hac ipsa re inter caetera negotia actum quum fuerit in Ordinariis S. R. Comitibus infrascripta die coadunatis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, serio perpendentes indulgeri omnino non posse, uti in votis erat amplitudini Tuae, ut altaria reputet reconciliata cum sola ac simplici Reliquiarum repositione, nil statuendum censuerunt quin antea exposceretur oraculum Sanctissimi Domini Papae, ac propterea

rescripserunt: „Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo.“ n. 4828 die 23. Septbr. 1837.

Suo itaque munere fungens subscriptus Secretarius SSmo D. N. Gregorio XVI. P. M. singula fideliter exposuit mentemque S. Congregationis aperuit. Ast quum SSmus Dominus praeceperit, ut ulterius per alterutrum ex apostol. Caeremoniarum Magistris conficeretur apposita Instructio pro Rmo Rhedonen. Episcopo, hac tandem habita et a Sanctitate Sua probata edixit, ut per particulares literas hujus S. Congregationis amplitudini Tuae injungeretur, ut ad trames omnino ipsius Instructionis huic fasciculo insertae defectibus suppleat a Praedecessoribus tuis admissis in consecratione altarium, de quibus in precibus atque ita absque admiratione et scandalo ea qua par est sollicitudine et prudentia singula ordinet et componat.

Dum ita Sanctitatis Suae et S. Rit. Congregationis jussis obtempero mentem aperio, ut singula executioni demandet, amplitudo Tua felix et incolumis vivat.

Romae die 6. Octbr. 1837.

Rmo Domino uti Fratri Episcopo Rhedonensi.

*Tenor autem Instructionis adjectae est sequens:*

Altare, super quo celebratur missa, vel fixum vel portatile, scilicet cum petra sacra tantum, consecratum omnino esse debet, ac pro ipso altari portatili sive petra sacra praecipuus est ritus observandus, unctiones adhibendae, reponendae in sepulchro Reliquiae ss. Martyrum juxta verba Apocalyps: *Vidi sub altare Dei animas interfectorum.* Reliquiae ibi reponuntur ob relationem ac mysticam analogiam inter Dominum Jesum Christum caput Martyrum ejusque membra juxta s. Augustini verba: „Convenienter autem et quasi quodam con-

sortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, scilicet ut qui propter mortem ejus mortui fuerunt, sub Sacramenti ejus mysterio requiescant.“ Ideo Sacerdos post confessionem osculans altare profert ea verba: *Quorum Reliquiae hic sunt.* Ex quibus etiam patet necessitas, ut in altari sit sepulchrum Reliquiarum. Reliquiis enim non apposis et deficientibus superflua ac vana essent ea verba. Praeterea sicut altare quodcumque vel immobile vel portatile evadit execratum ob fracturam vel per se enormem ob quantitatem vel enormem propter locum unctionum, licet levis in se fractura esset, ita execratum evadit ob Reliquiarum amotionem, ex hoc etiam liquido ostenditur Reliquiarum necessitas in altarium consecratione. Hinc si a caeteris ritibus observandis in nova altarium consecratione dispensavit aliquando Sedes apostol., nunquam a ritu dispensavit repositionis Reliquiarum et a caeremoniis necessario in hoc observandis. Sic C. S. R. in Augustana 21. Apr. 1668 Episcopo supplicanti pro facultate reconciliandi plurima milliarum altarium execratorum ob solam remotionem Reliquiarum, quae propterea iterum consecranda omnino erant, cum sola repositione Reliquiarum iis tantummodo servatis caeremoniis, quae in Pontificali Rom. praescribuntur, respondit: „In hoc casu gratiam petitam posse concedi“, quae a sa. mem. Clemente IX. concessa fuit.

Si itaque hoc sequi exemplum SSmo Domino placuerit, Rmus Episcopus Rhedonen. posset dispensari ab integra consecratione faciendae omnium altarium, de quibus in precibus; at tamen in eo quod respicit Reliquias, indulgeri nequit, ut altaria reputet reconciliata cum sola ac simplici Reliquiarum repositione, quin caeremo-